Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35409
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

utrumque est in suscipiente scilicet et caracter qui est res et sacramentum et gratia remissionis peccatorum que est res tantum et eadem ratio est de aliis sacramentis

Ad secundum

sic proceditur videtur quod eucharistia non sit unum sacramentum sed plura dicitur enim in collecta perficiant nos domine quesumus sacramenta que sumpsimus quod quidem dicitur propter eucharistie susceptionem ergo eucharistia non est unum sacramentum sed plura. Item per multiplicationem cause multiplicatur effectus sed quod unus homo sit plura sacramenta sed signum est genus sacramenti ut supra dictum est cum igitur in eucharistia sint plura signa scilicet panis et vini videtur quod esse quod sint plura sacramenta. Item hoc sacramentum perficitur in consecratione materie sicut dictum est Sed in hoc sacramento est duplex materie consecratio ergo duplex est sacramentum. Sed contra est quod apostolus dicit prima ad corinthios x unus panis et unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane et de uno calice participamus ex quo patet quod eucharistia est sacramentum ecclesiastice unitatis Sed sacramentum similitudinem gerit rei cuius est sacramentum ergo eucharistia est unum sacramentum. Responsio dicendum quod sicut dicitur v° methaphysice unum dicitur non solum quod est indivisibile vel quod est continuum sed etiam quod est perfectum sicut dicitur una domus et unus homo Est autem perfectum ad cuius integritatem concurrunt omnia que requiruntur ad finem eius sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis operacioni anime et domus integratur ex partibus que sunt necessarie ad inhabitandum Et sic hoc sacramentum dicitur unum ordinatur enim ad spiritualem refectionem que corporali conformatur Ad corporalem autem duo requiruntur scilicet cibus qui est alimentum siccum et potus qui est alimentum humidum Et ideo ad integritatem huius sacramenti duo concurrunt scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus secundum illud Johannis vi° Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Est ergo hoc sacramentum multa quidem materialiter sed unum formaliter et perfective. Ad primum ergo dicendum quod in collecta eadem et pluraliter dicitur primo perficiant nos sacramenta que sumpsimus Et postea singulariter subditur hoc unum sacramentum quod sit nobis reatus ad penam ad quod dicendum quod hoc sacramentum quodammodo est multa simpliciter autem unum. Ad secundum dicendum quod panis et vinum materialiter quidem sunt plura signa formaliter vero et perfective unum inquantum ex eis perficitur una refectio. Ad tertium dicendum quod ex hoc quod est duplex consecratio materie huius sacramenti non potest plus haberi nisi quod hoc sacramentum materialiter est multa ut dictum est

Ad tertium sic

proceditur videtur quod hoc sacramentum sit de necessitate salutis dicit enim dominus Johannis vi Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis Sed hoc sacramento